Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Dōdekaprophēton, Sive Theologia Prophetica, Ex Vatibus XII. Minoribus Secundum Seriem Articulorum Fidei

Majus, Johann Heinrich

Giessæ Hassorum, Anno MDCCIII

VD18 11197021

Locus X. De Christo.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17399

Visual Library

LOCUS X.
DE
CHRISTO.

§. I.

Salvator θεάνθρωπος.

QUia in hominibus peccatoribus ſumma perditio, & in ſolo Deo auxilii ſpes & ſanatio repoſita eſt, ad Deum medicum & Salvatorem recurrere debemus, juxta verba Hoſ. XIII, 10. & promiſſionem Dei, Hoſ. I, 7. Unde Salvatorem Deum eſſe debere liquet. Eundem autem duabus naturis conſtare, & Deum hominemque eſſe, Vates ſimiliter clare demonſtrant. Ita Hoſ. III, 5. Chriſtus *Jehova* & *David*, i. e. Deus & homo vocatur. Mich. IV, 2. 3. Meſſias Doctor & Judex, Jehova & Deus Jacobi dicitur. Idem Vates cap. V. 1. 2. duplicem Meſſiæ nativitatem, unam in tempore, alteram ab æterno factam, eoque luculenter utramque naturam indicat. *Ex te*, Bethlehem, *mihi exibit Dominator Iſraëlis, cujus egreſſus inde à principio, à diebus ſeculi.* conf. Joh. I, 1. 2 14. Zachar. III, 8 VI, 12. צמח *Germen* Meſſias appellatur, de quo ſupra nonnulla diximus. Jam tantum addimus D. Aug. Varenii obſervationem in Comment. ad Eſ. XI, 1. p. 566. *Quando*, inquit, *Chriſtus abſolute Zemach dicitur, licebit interpretari de Meſſiæ* nativitate æterna, *qua eſt naturalis Dei filius naturaliter, & de* nativitate temporali, *quæ eſt ex Maria virgine.* Idem Zachar. XIII, 7. *Virum coæqualem vel proximum Deo* nuncupat Meſſiam. Adde his nomina officii, quæ utramque naturam itidem inferunt, quia officium mediatorium Chriſtus obire non potuiſſet, niſi θεάνθρωπος fuiſſet, de quibus ſuo loco diximus p. 18. Chriſtum autem eſſe verum, perfectum & naturalem hominem, probatur (1.) ex appellationibus, & nominibus hominem arguentibus. Appellatur enim *David*, Hoſ. III, 5. & Davidis filius. Hoſ. XII, 5. Angelus, Geneſ. XXXII, 25. *Vir* vocatur. Filius enim Dei ejuſmodi apparitionibus incarnationi prælusit. In tali etiam forma conſpicitur, Zach. I, 8. II, 5. hucque facit nomen צמח *Germen* Zachar. III, 8. VI, 12. quod *Tarnov.* Comment. in h. l. Meſſiæ cognomen dicit, tum reſpectu ipſius, tum reſpectu hominum piorum &c. Et in L. C. ex hoc verſ. ait, *naturam ejus humanam indicari, ejusque in ſtatu exinanitionis con-*

Humana natura.

contemtam speciem innui. Melius dicitur, ut monuimus, vocem illam indicare 1. in genere filiationem & originem: 2. in specie tum divinam, tum humanam. (2.) probatur è partibus hominis essentialibus, anima & corpore. Zachar. XII, 10. ita θεάνθρωπος ait: *Respicient ad me quem transfixerunt.* Historia autem passionis docet, Christum corpore transfossum, animam suam efflasse. Matth. 27, 50. Vero ipsum corpore præditum, illud etiam evincit, quando ei sanguis adscribitur, Zach. IX, 11. (3.) probatur ab *operationibus* hominis propriis, ut sunt loqui, Hos. XII, 5 Zachar. I, 9. 12. II, 2. IV, 1. equitare, Zach. I, 8. IX, 9. &c. Defectus & infirmitates naturales, quæ nunc sine vitio hominibus insunt, licet originem è vitiis & peccatis trahant, ac ipsam quoque mortem, quatenus pœnæ, non culpæ rationem habet, sponte libereque assumsit, ut *paupertatem*, Zachar. IX, 9. *passionem*, v. 11. à defectibus autem animæ corporisque vitiosis prorsus immunis est, indeque *justus* dicitur; ibid. & *sanctus* passim.

§. II. Cum igitur Salvator noster Deus & homo sit, & esse debuerit, & tamen non diversa persona Deus aut homo innuatur, sed uni eidemque salvatio, passio, redemtio tribuatur, ut ex adductis & porrò adducendis locis constabit, hinc efficitur, divinam & humanam naturam in unum ὑφιστάμενον coalescere debuisse, per mysterium aliquod maximum, quod unionem personalem, incarnationem, & assumptionem humanitatis in Deitatem vulgo vocant. Hoc mysterium exprimit nomen צמח *Zamach*, quod originem & filiationem cum divinam, tum humanam indicare diximus. Nam Germen Jehovæ est etiam germen s. fructus terræ. Utroque igitur conjuncto hypostatica duarum naturarum unio solide probatur. Germen quippe Jehovæ, i. e. Filius Dei, factus est in tempore germen terræ, vel filius s. surculus Isai: quod fieri aliter non potuit, nec debuit, Scriptura duce & interprete, quam per incarnationem & unionem. Idem è Mich. V, 2. efficitur, ubi de Messia, cujus exitus ab æterno sunt, dicitur, quod *exire* ex Bethlehem Dominator debuerit. Verbum יצא egressum per generationem s. nativitatem notat, Gen. XV, 4. quod Judæi proinde recte intellexerunt, quemadmodum ex Matth. 2, 4. ss. liquet. Confer etiam Jes. XI, 1. quo Michas forte respexit, qui Jesaiam libenter sequitur. Non duo fuerunt, qui à seculo & in tempore exierunt, sed idem ille, cujus egressus ab æterno sunt, in tempore exiit è Bethlehem, puer

Unio personalis.

natus ſ. incarnatus. Quam exitus rationem impervestigabilem quidem esse, ingenue fatemur, id tamen affirmare possumus, de Incarnatione sic habendum, quod æternus Dei Filius in plenitudine temporis humanam naturam assumserit, æternoque fœdere sibi univerit, ac eidem & hypostasin suam & idiomata divina communicaverit. Unde facile constat, ex asserta unione personali, communicationem & hypostaseos, & naturarum, & idiomatum liquidò sequi, de qua prolixè disputare nihil opus est, sed præstat pie credere, cum fieri sæpe soleat, ut, quemadmodum Lutherus haud abs re dixit, disputando veritas amittatur. Hoc unum si hîc urgeremus, ex incarnationis ratione & fine dictam communicationem validissime inferri, satis foret. Nam sine communicatione idiomatum Christus nos salvare non potuisset. Salvandi eramus per Dominum Deum nostrum, Hos. I, 7. & tamen etiam per Messiam hominem, Zachar. IX, 9. qui per sanguinem fœderis liberare vinctos è fovea infernali debebat, ib. v. 11. Sanguis autem humanus vim liberandi & emittendi non habuisset, nisi divina natura talem efficaciam ei communicasset, sicque divinus sanguis fuisset. Pretium infiniti valoris ut ex passione, sanguine & morte Christi ad nos redundaret, oportuit non nudum hominem sed Deum quoque pati, sanguinem fundere atque mori in assumta carne. Sic generatim & simpliciter omnem confessione maximi mysterii rationem Vates tradunt. Nec difficile esset, tria communicationis idiomatum genera, quæ Theologi boni ordinis causa, nec sine rationibus in S. Scriptura fundatis tradunt, ostendere. Nam *primi generis*, ubi propria naturarum de Messia prædicantur, indicia manifesta è Zacharia adesse demonstravimus. *Secundum genus* vel ex salvatione & liberatione, quæ sanguini Christi tribuitur, itidem colligitur; eo enim Majestas, virtus ac potentia divina vere infinita requiritur. Hanc igitur humanæ naturæ communicari debuisse, asserere necesse est. *Tertium* denique ex opere redemtionis, Hos XIII, 14. & salvationis similiter efficitur. Ad hoc enim utraque natura concurrit, ac quælibet in operibus officii agit quod suum est, non tamen sola, sed cum communicatione alterius. Unde non seorsim operationes fluunt; sed una communis operatio est, quæ significanti voce Theandrica Theologis dicitur.

Communicatio idiomatum.

§. III. Talis igitur idiomatum communicatio, ut hinc liquet, necessaria omnino fuit, ut Messias officii Mediatorii sive Redemtorii parti-

Officium triplex.

Landesbibliothek Oldenburg

partibus rite defungeretur: & ad explicationem singularum muneris partium utilis est. Triplex autem vulgo Christi officium, nec abs re, statuitur, quorum primum dicitur *Propheticum*, quod toties insinuatur, quoties vel Doctor, vel Pastor nominatur, & Pseudo-Doctoribus ac Pastoribus opponitur. Ita Joël II, 23. *Doctor ad justitiam* dicitur, & Mich. IV, 2. *docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis ejus.* Ubi Messiam Doctorem etiam Rabbini agnoscunt. Mich. V, 3. de nascendo ex Bethlehem Dominatore Israëlis Propheta ait: *Pascet in robore Domini, & in magnificentia nominis Domini Dei sui.* Zachar. XI. per totum cap. stultis pastoribus unicus & verus animarum Pastor atque Episcopus Messias opponitur. *Doctrina* ejus est cum *Lex*, tum *Evangelium.* Illam in Vet. Test. dedit, & in Novo exposuit, ut Malachias diserte testatur, quando eum tanquam Dominum in templum suum venturum describit, & filios Levi purgaturum, III, 1. 2. 3. à traditionum fæcibus, quibus Legem corruperant. Cujus vaticinii complementum in concione Christi montana est, Matth. V. VI. VII. Legem igitur Mosis non abrogavit, nec novam tulit, sed legem olim à se latam vindicavit & implevit. Quo monitum pertinet Malach. III, 22. (IV, 4.) *Mementote Legis Mosis servi mei &c.* Præcipue tamen & primario doctrinam Evangelii è sinu Patris revelare & prædicare debuit, voluit. Hocque officio inde ab eo *tempore* functus est, quo Oeconomia Evangelica in Paradiso cepit, Gen. III, 15. Eo λογοφανείαι frequentissimæ faciunt, & quod Spiritus ejus in omnibus Prophetis fuerit, omnia ad Redemtionis negotium per ipsum perficiendæ spectantia, prætestificans, 1. Petr. I, 11. quod ex tot ubique obviis oraculis ad oculum luculenter patet. Evolve, si placet, sequentia loca. Hos. I, 7. II, 22. 23. III, 5. VI, 1. 2. 3. 4. 6. XIII, 14 XIV, 5—9. Joël II, 23. III, 5. IV, 16. 21. Amos I, 2. IX, 11—15. Obad. 17. 21. Mich. V, 1. 2. 4. 5. VII, 18. 19. 20. Nah. I, 15. Habac. II. 2. 3. 4. IV, 18. Zeph. I, 6. 8. 11. III 9 14. 15. 16. 17. 20. Hagg. II, 7—10. Zach. I, 3. 13. 16. II, 5. 10. seqq. III, 5. 6. 8. 9. 10 VI, 12. 13. IX, 8—12. 17. X, 10. 11. 12. XI, 12. 13. XII, 8. 9. 10. XIII, 1. 7. 8 9. XIV, 3. 4 6—10. 16—21. Malach. I, 11. III, 1. 2. 3. IV, 2. Pertinent vero etiam cumprimis ad hoc officium Christi, quod fideles sanctificet, misso in corda eorum Spiritu S. qui eos doceat, regat, consoletur ac vivificet, ut pii nostri Confessores loquuntur in Artic. III. Aug. Conf. Hoc declarat

1. Propheticum.

Landesbibliothek Oldenburg

clarat *effusio Spiritus Sancti super omnem carnem; ut prophetent filii & filiæ &c.* Joël III, 1. 2. Zachar. XII, 10. XIII, 1. ff. Qua insigni gratia, stultis falsisque Prophetis & Doctoribus sublatis, veros hodie Doctores & Pastores beat, qui ad agnitionem veritatis Evangelicæ & salutem æternam homines perducant, Zachar. XI, 3. 5. 8. 17. conf. Eph. 4, 11.

2. Sacerdotale.

II. *Sacerdotale* Messiæ officium innuitur, quando non tantum nomen sed etiam functiones Sacerdotales ei tribuuntur. Zach. VI, 13. de viro *Zemach* dicitur, quod *Sacerdos, in throno Dei sedens*, futurus sit. Hujus typi Sacerdotes Vet. Test. fuerunt, & cumprimis summus, ac nominatim Pontifex maximus *Jehosua*, Zachar. III, 1. ff. Functio autem Sacerdotalis generatim ea est, qua Christus secundum æternum Dei consilium & sponsionem à se factam, præstituto tempore venit, ut homines peccatorum vinculis detentos, è Satanæ & inferni potestate, fœderis s. testamentario sanguine liberaret & salvaret; quod cum agendo, tum patiendo omnia fecit, quæ omnibus quidem mortalibus incumbebant, sed à nemine præstari poterant. Hæc descriptio è duobus potissimum locis Hos XIII, 14. & Zach. IX, 11. nullo negotio eruitur & probatur. Sed per partes singula, ut clarius pateſcant, ostendemus. Uno *Satisfactionis* vel obedientiæ meritoriæ vocabulo cuncta exprimi solent, quæ Scriptura aliis vocibus effert, idem declarantibus, ut *redemtione, liberatione, salvatione, consilio Pacis*, s. *reconciliatione* &c. In verbis faciles simus, modo res ipsa salva sit & recte explicetur. Ad quod opus duo necessaria erant, ut legem Messias pro nobis impleret atque sustineret, quæ transgressoribus nobis sustinenda erant. Prius ex fine adventus Regis Messiæ elucet, idque Zacharias indicare voluit, quando IX, 9. ad filiam Zion & Jerusalem dixit: *Ecce venit Rex tuus tibi justus, Salvator & salvatus &c.* Veniebat sane, ut voluntatem Patris faceret, Ps. XL, 9. & omnem justitiam à lege requisitam, s. legalem, impleret, Matth. 3, 15. quia ex fœdere pacis, seu pacto, quod cum Patre iniit, eor suum spospondit, Jer. XXX, 21. & jugum legis importabile in se suscepit, exactissimeque implevit, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, Gal. 4, 4. 5. Hoc infert & postulat redemtio ex inferno & morte, Hos. XIII, 14 Passionem autem cruentam & vicariam Messiæ, *fœdus Pacis* inter Patrem Filiumque initum, indigitat, quod sanguine pangi & con-

Landesbibliothek Oldenburg

confirmari debebat, ceu ex locis Zachariæ semel iterumque citatis constat. Nam & vetus fœdus sanguine factum est, Exod. XXIV, 8. Hinc notanter dicitur ברם *in sanguine* fœdus tuum, ubi ב quemadmodum Hebræi loquuntur, est בית העזר *beth auxilii*, causam, instrumentum & modum actionis, & hic nominatim causam salvationis meritoriam notans, quæ in sanguinis effussione consistit. Hoc enim, fusius docente *Dorscheo* in Theol. Zach. p. 51. ss. requirit 1. *typi ratio*, 2. *fœderis divini indoles*, 3. quia *in hac ratione sanguinis exercetur actus obedientiæ satisfactoriæ Deo debitæ pro peccatis*, Lev. XVII, 11. 14. Jes. LIII, 5 6. 8. hincque Messias dicitur עני *adflictus*, humiliatus, tyrannice oppressus, Zach IX, 9. Idem Propheta cap. XIII. 17. his verbis exprimit: *Gladie, evigila super pastorem meum, & super virum, qui proximus mihi est, dicit Dominus exercituum, percute pastorem &c.* Ubi *gladii* voce omnes adflictiones, quas Christus anima & corpore, passionis tempore, propter nos sustinuit, intelliguntur. conf. Luc. II, 35. Dein verbum הך & nomen inde deductum מכה de percussione cum magnis doloribus, & sensu conjuncta, in Scriptura sumitur, ut diversorum locorum collatio ostendit, inprimis Deuter. XXV, 3. seqq. Unde etiam idem vocabulum crebro prorsus *occidere* & *delere* significat, ad quam significationem Chaldæus Paraphrastes verbo קטל respexit. In Nov. Test. verbum παλάσσειν, Luc. 12. ei respondet, quod ejusmodi percussionem significat, ut ictus sonitum s. strepitum aliquem edat, docente *Henrico Stephano*. Hinc ergo intelligitur obedientia Christi usque ad mortem, mortem inquam crucis, Phil. II, 8. quod Zacharias etiam XII, 10. exprimit, quando Messiam θεάνθρωπον sic loquentem inducit: *Et adspicient ad me, quem confixerunt:* דקר notat proprie *confossionem, quæ ferro fit*, & lethalis est, ut R. *Nathan* in Concordant. observat. Quare mors Messiæ, & genus etiam mortis clare hic indicatur. confer. Psal. XXII, 17. 18. Nec diram tantum crucis mortem Salvator sustinere debuit, sed cum homines per peccatum in damnationis statum incidissent, eum quoque subiit, qui per *lacum, in quo non sunt aquæ*, indicatur à Zach. IX, 11. conf. Ps. XXVIII, 1. XL, 3. adeoque omnes illas pœnas, quibus obnoxium genus humanum erat, interque eas infernales etiam, & mortis spiritualis horrendos aculeos sustinuit atque sensit, licet non in loco inferni, nedum in purgatorio, vel limbo Patrum, ut lacum perperam Pontificii ex-

Landesbibliothek Oldenburg

plicant, quos solide & copiose refutavit *Dorscheus* cap. VII. Th. Zach. Ita verba quoque apud Hos. XIII, 14. capienda: *E manu* s. potestate *inferni eos redimam* אפדם mediante lytro sanguinis pretiosi, *è morte liberabo eos.* Emissio igitur vinctorum è lacu infernali à Messia facta est, per modum redemtionis & solutionis pretii, susceptionemque maledictionis universalis, Galat. III, 13. 14. Hinc vocabula in Nov. Test. frequentia, λύτρον, ἀπολύτρωσιν cum nominibus, Luc. I, 68. Rom. III, 24. & similia ubique obvia, ut promissionum inde Evangel. & mysterii redemtionis harmonia luculenter per totum Vet. ac Nov. Test. pateat. Hoc vero satisfactionis, liberationis & redemtionis beneficium ad omnes homines pertinere, ex locis allatis similiter probari potest. Nam peccatorum vinculis constrictum, & æternæ morti, diabolo atque inferno totum genus humanum obnoxium erat. Hoc dum ea ratione, qua diximus, solvit, pro omnibus atque singulis ἀντίλυτρον se dedit. Nec est, quod excipias, Ecclesiam Judaicam ejusque vinctos tantum solvendos intelligi. Eam quidem Zacharias compellat, cum ad eam inprimis Messias cum beneficiis spectet; quia tamen ibidem *dominium* etiam *Messiæ à mari ad mare, & usque ultimos terræ fines se extendens* describitur, facile liquet, universale quoque hoc beneficium esse, & liberationem ab omnibus peccatis eorundemque pœnis, temporalibus & æternis inferre. Altera Sacerdotalis officii pars, *interpellatio* sive *intercessio*, ex eo elucet, quod apud Patrem pro populo intercedat, dicendo: *Quousque non misereberis Hierosolymorum & urbium Judæ &c.* Zach. I, 12.

3. Regium. III. *Regium* officium indicatur, quando Rex vocatur, Zachar. IX, 9. Triplex vero ejus est regnum, (α *potentiæ*, cujus objectum omnes sunt creaturæ, unde vocatur, *Dominator in Israël*, Mich. V, 2. & quidem *magnus usque ad fines terræ.* v. 4. *Dominator in solio suo.* Zach. VI, 13. *Rex super omnem terram*, XIV, 9. *Rex Dominus exercituum*, ibid. v. 16. 17. *Cujus imperium à mari ad mare, & à fluvio usque ad fines terræ*, IX, 10. Quæ omnia immensum, divinum & universale imperium, Christo secundum utramque naturam tributum, denotant; & speciatim secundum humanam: de eo enim Rege, qui pauper venit, Vates hic loquitur. Huic regno potentiæ alterum regnum (β *gratiæ* idem Propheta copulat, quia illud ad hoc est ordinatum. Messias enim orbi terrarum, & speciatim fœderatis suis, sanguine suo purpuratis, è

lacu

lacu profundo emissis, dominatur. Imò etiam regnum gratiæ Messias in totum terrarum orbem extendit, Mich. IV, 1. 2. Hagg. II, 6. 7. Ubique enim Ecclesiam per verbum & Sacramenta colligit & sanctificat, illuminat, Doctoribus & Pastoribus illuminatis dona Spiritus Sancti largissime impertit, gentes convertit, salvat, ut ex locis sæpius citatis & cognitis liquet. Unde & hoc constat, regnum Messiæ non esse mundanum sed spirituale, quod ex Zach. IX, 10. itidem evincitur, & Mich. IV, 7. 8. conversi fidelesque confitentur, Hos. XIV, 4. & venerabuntur tanquam Caput & Regem unic m, Hos. II, 2. III, 5. Zach. XIV, 9. qui potentissime eos defendit, hostes autem eorum judicat, Mich IV, 3. Ex nonnullorum sententia, Sacerdotium & Regium Christi officium conjunguntur, Zach. VI, 13. (γ Ad regnum *gloriæ*, triumphus Christi regius pertinet, quem à diabolo, inferno & morte reportavit, Hos. XIII, 14. cujus etiam Habac. III, 3. seqq. meminit.

§. IV. Sed de his ac similibus ad exaltationis statum ubi devenerimus, quem verò status exinanitionis antecedit. Ad hunc refertur *nativitas* humilis ex Bethlehem, parva & contemta respectu aliarum urbium Judæ, sed nobilitanda & ortu Messiæ exaltanda, Mich. V, 2. Eo quoque nomen צמח *Zemach* referunt, existimantes, Christum ita dici propter solam ἐνσάρκωσιν καὶ ταπείνωσιν, *incarnationem*, & *exinanitionem*, cum germen proprie id sit, quod è terra nascitur, & exiguis obscurisque initiis crescendo progreditur Hinc præfigurari eo volunt (1.) nativitatem Christi terrenam & temporalem, quod instar surculi proditurus esset è terra & è trunco velut succiso & fere emortuo, omnique ramorum, frondium ac viroris gloria destituto: (2.) teneram & abjectam Christi conditionem, & μορφὴν δούλου, sive formam illam servi, quam ad tempus induit, Phil. II, 7. Conf. Jes. XI, 1 & LIII, 2. ex quibus locis hæc sententia vel illustratur, vel confirmatur. Huc quoque *Tarnov.* Mal. III, 2. trahit: *Quis sustinebit diem adventus illius, & quis sustinebit, cum apparuerit?* conferens vocabulum ἐπιφανείας è Nov. Test. locis, de humili adventu agentibus, 1. Tim. III, 16. &c. Interim exinanitionis forma non absolvitur sola incarnatione, vel carnis assumtione, sed plenarii usus Majestatis divinæ spontanea veraque abdicatione ad tempus facta, quæ una voce *paupertatis* indicatur significanter à Zach IX, 9. Nam Christus assumsit naturam pauperem

Exinanitio.

etiam

etiam in utero, non quod mendicus fuerit, aut possessionem, proprietatem & dominium rerum totius orbis resignaverit: aut infinitam opulentiam divinam sibi non accommodaverit, licet creaturis semper & indesinenter, tanquam opulentissimus Dominus, cœlestes divitias juxta humanam naturam dispensaverit. Nam, ut nervose D. *Dorscheus* arguit in Theologia Zach. p. 160. *Exinanitio formæ divinæ non tantum divitiarum divinarum non usurpationem, quoad ipsam Christi JEsu humanam naturam designat, sed etiam denotat, Christum hominem non usurpasse divitias ratione gubernandarum creaturarum universi. Nam forma divina, exinanita in Christo homine, non tantum est Majestatis divinæ plenissima usurpatio ad intra & quoad humanam Christi naturam, sed etiam quoad extra, & creaturas Christo homini subditas. Sane formæ servi assumtio eo usque se se extendit, salva unione personali, quousque se se forma Dei omni opulentissimi & τὸ εἶναι ἴσα θεῷ Majestas extendit. Hæc vero non ad intra solum, sed ad extra & respectu creaturarum gubernandarum fuit, & à momento unionis futura fuisset, nisi κένωσις intercessisset.* Ad hanc servi formam Deus Pater apud Zachariam respicit, III, 8. *Ecce*, inquiens, *ego adduco servum meum Zemach:* & c. IX, 9. adventus Messiæ abjecta humilique forma factus, satis ostendit, quod Messias plenario Majestatis dominiique divini ibidem expressi usu se abdicaverit. Quod ideo fecit, ac facere debuit, ut affectatam à Protoplastis Deiformitatem expiaret, quæ non rapuit, solveret, nosque *omni benedictione spirituali in supracœlestibus*, Ephes. I, 3. 1. Cor. I, 5. & 2. Corinth. 8, 9. quibus carebamus, Rom. 3, 23. ditaret. Posteaquam amisimus imaginem Dei, abalienati à vita, sapientia, veritate Dei, & venundati sumus sub peccatum, Rom. 7, 14. Ephes. 4, 18. Hæc & similia munera, ut nobis acquireret JEsus, ipse πλούσιος ὢν in possessione Majestatis & gloriæ cœlestis, ab usu illius opulentiæ, quando visum & necesse fuit, abstinuit. Nam in hoc ipso exinanitionis & paupertatis statu subinde quoque radios divinæ sapientiæ, scientiæ & omnipotentiæ exseruit, quemadmodum vel ex Matth. 21, 1. ss. dilucide constat, ubi Zacharianum vaticinium adducitur. Exinanitio autem, ut per totam vitam Messiæ se se prodidit, ac speciatim quoque in ejus educatione, abjecta in Ægyptum fuga, ceu colligitur ex Hos. XI, 1. inprimis tamen luculentissime ex passione & morte elucet, de qua supra p. 54. & seq. forte, quod satis est, diximus.

Quare

Landesbibliothek Oldenburg

Quare pauca nunc de *Exaltatione* subjungemus. Primus illius gradus est *Descensus ad inferos*, non *metaphoricus* vel *virtualis*, passionis virtute & merito factus, de quo Zach. IX, 11. agere fatemur; sed realis, triumphalis s. victoriosus, quo Redemtor non è manu tantum vel potestate inferni nos liberavit, sed etiam *pestis factus* est *morti* & *exitium inferno*, Hos. XIII, 14. Quod sane tum factum censeri debet, quando Salvator diabolum expoliavit, qui mortis & inferni potestatem habebat, deque eo triumphavit. At factum hoc alii scriptores sacri in descensu Christi ad inferos testantur. Talem igitur descensum victoriosum hic prædictum, haud abs re credimus, Pauli testimonio irrefragabili inducti, 1. Cor. 15, 54. s. Unde liquet Vatis nostri verba ἐπινίκιον continere, quod in suo descensu Christus cecinerit. Quo Petrus forte verbo ἐκήρυξεν respexit. Christus autem post vivificationem corporis nuper mortui in infernum descendit, quam primum exaltationis gradum alii dicere malunt. De hac ut & resurrectione ejus Hoseas sub nomine fidelium VI, 2. *vivificabit nos post biduum* ipse vivificatus, sive vitæ redditus, postquam mortuus fuerat, & ipse *tertio die* resurgens simul secum *nos excitabit*, *ut coram ipso vivamus* vitam spiritualem, quæ ex Deo est, in hac vita s. regno gratiæ, & postea in regno gloriæ. Ita plenaria sanatio nobis obtinget, Eph. 2, 6. 1. Cor. 15, 4. 22. Huc quoque exemplum Jonæ per triduum in ventre piscis commorantis indeque vivi ejecti pertinet, II, 1. Matth. 12, 40. *Ascensio* in cœlum è monte oliveti, itidem è Zach. XIV, 4 Act. 1, 9. 12. colligitur. *Sessio ad dextram Dei*, sive omnipræsens & omnipotens dominium è Zach. XIV, 9. IX, 10. coll. cum 1. Cor. 15, 25. patescit. Quæ cum omnia exactissime sibi respondeant, & in Jesum Nazarenum quadrent inque eo completa sint, contra Judæos valide probamus, eum unicum & verissimum Messiam, nec alium exspectandum esse. Exaltatio.

LOCUS XI.
De
JUSTIFICATIONE.

QUia Messias *justus* & *salvatus* venit, finis ejus adventus perspicue indicatur, nempe quod justitiam & salutem acquirere debuerit. Cum igitur hæc præcipua beneficia sint, primo loco de Justifica-

Landesbibliothek Oldenburg